

plet. in vita, e. XIII. Experti suo malo sunt suavem hanc tyrannidem, Adam ab Eva illectus et in extremam calamitatem reductus; Salomon ab uxoribus suis, in senio dementatus; Achab a Jezabele sua, ad necem innocentis Naboth machinandam permotus; Herodes ob amorem pellicis suæ in cædem Joannis impulsus.

VI. Ferculum ex hac cœna debetur iis, qui extra Ecclesiam catholicam sunt. Scire illi debent, non esse aliam viam veniendi ad cœnam æternæ felicitatis, nisi per fidem, eamque catholicam. Servi enim quos misit Dominus ad vocandos hospites, non sunt alii nisi apostoli et qui ab iisdem, legitima successione descendunt. Hi vero omnes ad evangelium, fidem et Ecclesiam eamque catholicam, fundatam supra petram apostolicam vocarunt et traxerunt homines, quasi ad cœnaculum, in quo solo expectanda sit celestis cœna. Quisquis ergo evangelio eique sincere non obedierit, sciat se a cœna excludendum: *Dico vobis*, ait Dominus, *quia nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam*. Hoc idem est quod Isaias, c. LX. dixit: Gens et regnum, quod non servierit tibi (Deus,) *peribit* interitu tam temporali, quam æterno, intelligit. Experta hoc est Persica quædam civitas, cujus episcopus Milles nomine, cum multa ab ea passus verbera et tractus, nulli persuadere posset ut Christianus fieret, moleste tulit civitatisque maledixit et abiit. Paulo post cum primores illic in regnum peccassent, missus est exercitus cum trecentis elephantibus civitatemque illam subvertit et instar arvi aratro subegit, Sozom. lib. II. hist. ecclesiast. c. XIV. Dani cum restitissent evangelio, tanta cæde mactati sunt, ut vulgus omne caderet, de stirpe autem regia nemo remaneret præter unum puerum, Ericum, Adamus, in chron. Baron. anno 885. Superiore sæculo Indi Molucenses, dum a fide Christi ad Mahumetem defecerunt, procellis, fulminibus, turbinibus et cinere, qui totam regionem fertilissimam opplevit et similem terræ Sodomorum effecit, puniti sunt, ut scripsit ex ea regione p. Beyra societatis Jesu testis oculatus. Et propterea jussit Dominus, ut prædicatores ab ædibus repulsi, pedum pulverem in eas excuterent, ad contestandam Dei vindictam, quæ imminet eis, Luc. IX. Ita S. Franciscus Xaverius Malacensi præfecto, quod per eum ab itinere suo in Sinas impediretur, excommunicato, illico Malaca discedit. « In urbis porta, pulvere de calceis (uti Christus apostolis præceperat) excusso, civitati celestem iram multasque et graves denuntiat clades. Et denuntiationi respondit eventus. Nam brevi, fame, bellis, morbis urbs exhausta est, ut fere ad solitudinem redigeretur, » ait Tersellinus, lib. V. vite, cap. VII. *Revelatur enim ira Dei, inquit apos-*

tolus ad Rom. 1. *de cælo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum qui veritatem Dei (evangelium scilicet) in injustitia detinent*. Eadem Dei iram expertæ sunt sectæ et regna Arianorum Gotthorum et Wandalorum; regna Nestorianorum, Eutychianorum, Monoclastarum, Monothelitarum, etc. Ex quibus omnibus patet, fidem et evangelium omnibus ad salutem esse necessarium.

VII. Septimum debetur Christianis omnibus, qui divinis vocationibus non respondent aut acquiescunt, sed magis temporalibus rebus student, quam iis quæ ad salutem dirigunt. Eo pertinent qui levi nimis de causa, violant præcepta Dei et Ecclesiæ, qui ob vilia quæque minusque necessaria negotia, negligunt s. confessionem et communionem in paschate vel morbis periculosis; qui ad nundinas et agros suos currunt cum præceptum Ecclesiæ implendum; qui uxoribus nimis facile omnia indulgent, quæ cum virtute et Dei timore non satis stare queunt; toti sunt in agris et gregibus suis, et vix semel in die cogitant de Deo, etc. Hos enim et his similes accusabunt aliquando coram Deo pastores, concionatores et confessarii, qui ad eos missi, vocationem ad cœnam Dei fideliter eis insinuarunt, non tamen auditi sunt. Eorum enim contumaciam nuntiant Deo, cum vel illos rebelles increpant, vel coram Deo accusant in suis precibus, vel cum desinere a correctione aut deserere eos coguntur. Quemadmodum vero paterfamilias ad hoc nuntium servi sui iratus est: ita irascitur Deus improbis, qui morem gerere servis ejus ad se missis nolunt, uti diximus de infidelibus. Et si irascitur infidelibus, quanto magis fidelibus? Si alienis, quanto magis peculiari sibi jure adscriptis? Sæpius legimus ultionem divinam in refractarios homines a monitoribus provocatam illico adfuisse, uti senserunt Core, Dathan et Abiron resistentes Moysi, qui cum hoc, Deo conquestus simulque precatus esset: *Ne respicias sacrificia eorum; a terra absorpti sunt*, Num. XVI. Huic addamus e novæ legis tempore historiam alioqui notissimam: *De contumacia quorundam irreverentia erga s. missam, quam scribit Crantzius, in Saxonia, l. IV. c. III. Naucleus et alii. Choreas aliqui ducebant in Colbeke villa Halberstadensi nimis insolenter ipsa dominicæ nativitatis nocte, et quod culpas valde auget, etiam in ipsius ecclesiæ cœmeterio S. Mauri. Erant autem, qui id agerent, ebrii omnes, tum viri, tum feminae, quamobrem inconcinnis clamoribus divinum officium inturbabant. Rogati a sacerdote, ut abstinerent, cum non parerent, ille velut quadam pia indignatione commotus dixit: Quando mecum divina religio contemnitur, sit vobis circuitio, choreaque illa annalis. Adeo illa sen-*

tentia Deo probari visa est, ut ii in chorea semper perseveraverint absque cibo dies ac noctes sine ulla quiete, adeo ut quidam sancti viri etiam pro illis diu rogarint, at illi nihilominus annum integrum perseveraverunt. Ac cum quidam sorores suam ex eo circulo ablaturus accessisset, potius brachium devulsit, uravit maute adeo is motus, ut alta terræ vestigia impresserint. Anno demum evoluta quievit, major pars spiritum exhalavit; pauci, qui superfuerunt, recreati insigni se pœnitentia macerarunt, ac eidereque hæc, imperatore Henrico. Refert Major. tom. 1. canic.

## CONCIO X.

## MYSTERIA.

I. Quis parabolæ scopus? — II. Quænam illa cœna magna? — III. Quis instructor cœnæ et quis servus? — IV. Quænam hora cœnæ? — V. Quinam invitati et cur venire noluerunt? — VI. Quando reversus servus nuntiavit hæc domino suo? — VII. Qui sunt pauperes, debiles, cæci, claudi? — VIII. Quinam venire compulsi?

## THEMA.

*Homo quidam fecit cœnam magnam. Luc. XIV.*

Cœna, auditores; nocturnum est convivium, quod proinde eget lumine ad mensam posito; quò deficiente non cernuntur epulæ, nec sine errore et læsione a convivis absumuntur. Talis autem est parabola ista proposita de cœna; convivium quoddam spirituale, inquam, sed nonnihil obscure, ideoque lumine indiget, de quo Ps. CXVIII. dicitur: *Declaratio sermonum tuorum illuminat et intellectum dat parvulis*. Ergo ut hujus cœnæ epulas, hujus parabolæ intellectum cernamus ac cum fructu degustemus accendemus illi, præstante Domino, aliquantum luminis.

I. Quis parabolæ scopus? Resp. ex præcedentibus colligendum. Accumbens Dominus mensæ principis Pharisæorum præclarum illi documentum dederat: *Cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, et cæcos, et beatus eris, quia non habent retribuere tibi, retribuetur enim tibi in resurrectione justorum, etc.* Quæ cum audisset quidam ex discumbentibus, divinæ retributionis desiderio accensus, ait: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei*. Hinc ergo, occasione arrepta, proponit illi Dominus parabolam ex ipso convivio, in quo erat, depromptam, ostenditque gentiles præceptores Judæis cœnam illam celestem, et quidem culpa ipsorummet, ut qui primo invitati et sæpius vocati comparere noluerunt, præferentes terrena supernis bonis, ipsorum igitur loco vocandos et trahendos esse

primo contemptos quosque ex Judæis, deinde cæcos, claudos et debiles, extra civitatem Ecclesiæ positos, promiscuam scilicet gentilium multitudinem, Dei veri cognitione destitutam, in peccatis ambulantem et promissionis spe carentem. Id quod jam cernimus factum vocatos, scilicet gentiles, reprobato vero Judæos. Unde parabola ista, cum a Christo proponeretur, prophetia erat: nunc vero est historia.

II. Quænam illa cœna magna? Resp. esse celestis beatitudinis delicias. Comparatur autem vita æterna in primis convivio. Primo, quia ut in convivio sunt omnis generis deliciae, epulæ et vina ad gustum; symphonia ad auditum; odores ad odoratum; flores et fictitia ferula ad delectandos oculos parata: ita in cælo omnis generis deliciae sunt, ad recreandas omnes vires corporis et animæ. Sed audiamus card. Bellarminum, in lib. de æter. felic. l. V. c. V. accuratius hæc expendentem. « In cœna magna oblectantur oculi in apparatu sumptuoso totius aulæ, in ordine ministrorum, vestibus decoris et pretiosis indutorum, in vasis aureis atque argenteis quibus inferuntur cibi: oblectantur aures variis musicis instrumentis et vocibus cantorum et cantatricum audiendis: oblectatur sensus olfaciendi in odoribus florum et rosarum, in unguentis pretiosis et aquis odoratis, aliisque rebus odorem suavissimum spirantibus: oblectatur sensus gustandi in condimentis ciborum omnis generis et vinis pretiosis undique allatis: oblectatur denique sensus tangendi in recubitu, sive accubitu in lectis mollissimis atque gratissimis. Itaque in cœna regia ac nuptiali conveniunt simul, omnia fere corporalia bona, quæ hic in terris inveniri possunt, ut non sine causa Dominus representare volens felicitatem, quæ in se bona omnia comprehendit, cœnæ magnæ illam comparare voluerit: de qua etiam legitur in Apocalypsi: *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*. Deinde, quam sit magna illa cœna Domini, ex eo cognosci potest, quod omnis gloria corporum gloriosorum erit quasi postrema mensa, in qua bellaria apponuntur. Tanta autem est bellariorum istorum suavitas, ut Sanctus Petrus videns aliquando corpus Domini splendere instar solis, dixerit: *Bonum est nos hic esse*. Et si talia sunt bellaria, quid erit substantia cœnæ, quæ in fruitione divinitatis posita est? »

Secundo, quia ut in convivio abundantia et satietyas est: ita in cælo beati omnes saturantur et superest infinita voluptatum copia, etiam infinitis aliis, si forent, hominibus. Unde David, Psal. XXXV. ait: *Inebriabuntur ab libertate domus tuæ: et alibi: Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Hanc causam similitudinis

lib. IV. contra Marcion. c. XXI. cum ait: *Cœna paraturæ vitæ æternæ saturitatem figurat.*

Deinde, comparatur cœnæ. Primo, quia ut cœna post labores diei datur; ita beatitudo superna post hujus vitæ labores, miseras et strenuas operationes exhibetur. Atque hic verissimum est quod scribit apost. II. Thessal. III. *Si quis non vult operari, nec manducet.* Secundo, quia ut cœna in fine diei; ita beatitudo animæ in fine vitæ, corporis vero, et animæ simul in fine mundi exhibebitur hominibus. Tertio, quia ut cœnæ non succedit alia refectio sed quies tantum et somnus; ita beatitudo cœlestis, æterna et interminabilis est, hominem componens ad quietem sempiternam, ut nihil præterea desiderare queat. Hanc causam tangit S. Gregorius, hom. XXXVI. quæ est de hodierno evangelio; « Idcirco, inquit, hoc convivium Dei, non prandium sed cœna vocatur, quia post prandium cœna restat, post cœnam vero convivium nullum restat. Et quia æternum Dei convivium nobis in extremo præparabitur, rectum fuit ut hoc non prandium, sed cœna vocaretur. » Quarto, quia sicut cœna peragitur sine lumine: ita visio beatifica indiget lumine gloriæ, quo elevetur et confortetur intellectus beatorum ad vivendum Deum, quomodo beneficio tibi perspectivi adjuvatur oculus corporis, ad contuendas res remotas vel subtiles. Eo lumine deficiente humanus intellectus nequaquam cernere Deum posset. Denique, magna cœna appellatur plures item ob causas; nimirum quia magnus et laudabilis Dominus, qui cœnam hanc exhibet; magnus et immensus est locus cœli empyrei, in quo exhibet; magna et ineffabilis dulcedo fereulorum quam exhibet; magna quoque turba quam dinumerare nemo potest, cui exhibet; magni sunt omnes convivæ, magna duratio convivii, æternitas. Manna et cætera bona legis veteris quasi jentaculum fuerunt Ecclesiæ militantis sumptum ante Christum: incarnationis œconomia quasi prandium perceptum sub Christo: sacramentum eucharistiæ quasi merenda post Christum percipienda: cœlestis beatitudo quasi cœna in altero sæculo cum Christo sumenda.

III. Quis homo qui paravit cœnam, et quis servus ab eo missus? Resp. hominem, qui fecit cœnam, esse imprimis Deum, seu totam SS. Trinitatem, quæ quia mundo parum aut nihil cognita fuit, vocatur *homo quidam*, qui æterna cœli bona præparavit diligentibus se; deinde speciali ratione esse Christum Dominum, qui meritis suis paravit et comparavit nobis cœnam illam, et prout in propria persona (ut volunt aliqui) concludit parabolam illis verbis: *Dico autem vobis, quod nemo vivorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.*

Porro servus ab eo missus, in priore sensu erit Christus Dominus a Patre in mundum missus et servi formam accipiens, qui vocavit primo, Judæos in propria persona, deinde gentiles per apostolos suos. In posteriore et commodiore sensu (nunquam enim se consuevit Christus servum appellare) sunt apostoli et quicumque prædicatores, primo, ad Judæos; deinde, ad gentiles missi, qui propter unionem cordium et concordiam fidei unus servus non incongrue appellantur.

IV. Quenam hora cœnæ? Resp. Esse tempus adventus Christi seu legis gratiæ, durans usque ad finem mundi, post quem incipiet cœna illa, ut dixi, universalis, omnium electorum quoad animam et corpus. De hoc enim toto tempore ait S. Joannes, I. Joan. II. *Filioli, novissima hora est.* Vel si de partiali cœna, quæ animæ tantum et singulorum beatitudinem involvit, loqui velimus, est idem tempus gratiæ usque ad id tempus, quo anima cujusque electi in conspectum Dei admittitur. Ante Christi adventum nondum erat hora cœnæ, tum quia cœnaculum cœlestis nondum erat reseratum: tum quia nondum erant omnia parata, merita velicet passionis Christi, quibus emi et parari cœna illa debuit. Primus ad hanc cœnam assedit Christus, venit illius auctor, secum deinde assidere fecit patres e limbo ereptos, posteaque fideles alios, quotquot in gratia moriuntur.

V. Quinam invitati? Et cur venire noluerunt? Resp. invitatos esse Judæos, qui præ cæteris et ante ethnico (vocati sunt, maxime a tempore Abrahamæ, tot beneficiis, favoribus, plagis, miraculis, illustrationibus, prophetiis, quot nulli alii populi. Et hi tamen omnes, hoc est, plerique (maxime qui tempore legis gratiæ vivebant) sese subdlexerunt propter fluxa et temporalia bona; quæ quidem possessa non faciunt peccatorem, nisi accendete illicita cupiditate: facile tamen ad peccatum trahunt et a Deo abstrahunt, quod in præsentibus parabola factum. Villam emere, boves probare et uxorem ducere, peccata non sunt, sed illa regno cœlorum præponere, stultitia et peccatum est.

Noluerunt igitur venire, primus quia villam emit: secundus quia boum juga quinque emit: tertius quia uxorem duxit. Quæ ad litteram significant, inordinatum amorem rerum temporalium, impedimentum esse salutis. Primus denotat eos, qui honoribus et dignitatibus, sive potentiæ et dominatui inhiant atque inhaerent, adeoque toti sunt in emendis villis, propaganda ditione sua, cumulandis honorum titulis, v. g. ut vocentur et scribantur comites i. N. barones in N. domini in his vel illis pagis, arcibus, etc. Vel significat eos, qui villam, id est, mundum

sectantur et colunt, eique placere student. Et hi rogant excusari si divina negligant, si jejunia violent, jurent, execrentur, pergræcentur, nunquam orent, etc. quia aulici, nobiles, officiales sunt, principibus obligati sæculo, non religioni adscripti. Hinc iste ait: *Necesse habeo exire, quasi dicat: Non possum Deo servire et mundo.* Secundus eos, qui lucra et utilitatem, quæ notantur in agricultura et exercitio boum, consecrantur. Vel juxta expositionem D. Augustini et D. Gregorii, qui sensibus ac sensibilibus bonis inhaerent, adeoque quinque sensibus quasi totidem bobus terram versant: ratione vero et fide ad supera bona non ducuntur. Juga enim sensus sunt seu paria, quia duo cujuslibet sensus instrumenta: duo oculi, duæ aures, geminae nares: lingua et palatum organa gustatus: tactus foris et intus. Tertius eos, qui voluptatem et delectationem, quæ ex nuptiis capitur, quaerunt et sectantur. Item qui matrimonio abutuntur, velut equus et mulus. Et quia voluptas carnis præ cæteris longius et violentius a Deo abducit: idcirco iste voluptuarius omnium impudentissime respondet: *Uxorem duxi et ideo non possum venire.* Cæterum matrimonium nequaquam causa est excusans a servitio divino, primi enim Christiani in conjugii suis sanctissime vixerunt, ita ut quotidie ad s. synaxin sumendam essent dispositi, eamque diebus saltem dominicis perciperent. Vitio tantum conjugum fit status hic tam difficilis et periculosus.

VI. Quando reversus servus nuntiavit hæc domino suo? Resp. in priore sensu Christum id fecisse, quando ascendens in cœlum ostendit Patri plagas quinque, a Judæis sibi inflictas. Tameñ enim vulnera illa misericordiam potius clamant atque implorant, quam vindictam, rebelles tamen ac refractarios necessario accusant, quomodo angeli in Babylonem, Jerem. LI. *Curavimus Babylonem et non est sanata.* Quemadmodum enim vulnera hominis per injuriam occisi produnt et accusant homicidam, dum ad ejus præsentiam recentem sanguinem stillant, quasi dicant: Ecce iste est qui sanguinem istum effudit et vulnera hæc fecit; sicque magistratum ad plectendum reum acriter stimulant: ita vulnera Christi Domini accusant impios Judæos (imo et peccatores alios) qui ea quidem fecerunt nec tamen penituerunt, et medelam ab iisdem profluentem acceptare noluerunt: indeque cœlestem Patrem ad iracundiam provocant, uti patrem hunc familias relatio servorum. In posteriore sensu sunt apostoli et quicumque animarum pastores, qui cum frustra laborarint in conversione animarum, Deo id conquerentur in oratione, dolentes de tanta duritie et cœcitate peccatorum. Quæ profecto pas-

torum oratio, plurimum etiam Deum movet excitatque ad perdendos rebelles; præsertim si et illi monstrare queant plagas, quas acceperunt ab immorigeris, quibus prædicarunt. Irascitur enim Deus, quod non tam servi, quam ipse spretus sit.

VII. Qui sunt pauperes, debiles, cæci et claudi e plateis et vicis civitatis vocati? Resp. primo, esse gentiles in plateis et vicis terræ oberrantes, ad quos missi sunt apostoli. Atque hi pauperes erant, quia destituti lege, prophetis, sacramentis, bonis operibus, spæ gloriæ, Deo: debiles, quia destituti gratia, solis naturæ corruptæ viribus insistentes: cæci, quia Dei veri cognitione, aliarumque rerum ad salutem spectantium, uti immortalitatis animæ, resurrectionis corporis, laqueorum et illusionum diabolicarum destituti: claudi, quia multi eorum perspiciebant quidem veritatem, virtutis pulchritudinem, vitiorum turpitudinem, deorum et idolorum vanitatem et imposturam, altero tamen pede claudi non vivebant secundum scientiam suam, nec ausi sunt improbare, quæ alii pene omnes probabant.

Secundo, designant eos, qui ad receptionem evangelii, adeoque ad capessendam salutem magis habiles et idonei sunt, ut exponit Bellarm. loco supra cit. « Quia enim divites occupati in villis et bobus emendis, et in uxoribus ducendis, ad cœnam magni patrisfamilias ire recusarunt, advocat pauperes, qui neque pecunias habent ad villas et boves emendos, nec facile uxores inveniunt, cum non habeant unde illas alant: advocat debiles, qui nec ad villam proficisci, nec boves exercendo probare, neque uxores ducere possunt: advocat cæcos, qui nec villam videre, neque boves dirigere, nec facile uxorem invenire queunt: advocat claudos, qui ad villam pergere, et boves exercere, et in nuptiis tripudiare non nisi difficillime queunt. Isti igitur tamquam liberi ab impedimentis omnibus, quibus priores tenebantur, ad cœnam magnam admissi, merito sibi ipsi gratulari possunt, quod eos Deus, pauperes, debiles, cæcos et claudos esse voluerit. Multi queruntur in hac vita, quod nati sint pauperes vel sæpius agrotent, aut capti oculis, vel pedibus impediti infelicissimi esse videantur; et nesciunt quid boni præparet illis Deus in sæculo futuro, ob hanc ipsam quam homines vocant infelicitatem: quod si scirent, gauderent utique et exultarent. »

Tertio, secundum eundem Bellarminum ibidem: « Pauperes intelliguntur, qui sicut pauperes spiritu, non opibus; et debiles non viribus, sed fiducia in se ipsis; et cæci non oculis, sed astucia; et claudi non pedibus, sed affectibus. Dicam hoc planius. Pauperes qui ad cœnam Do-